



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 180. Legatus dicentem excipit, ac sermonem prosequitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

**Sæcul. XV.** meritatem Viri castigante, confessim memoria fallitur, non solum orationis, quam A. C. 1448. jamjam dicturus esset, obliitus, sed etiam omnibus scientiæ suæ adminiculis, quibus sermonis sui defectum supplere posset, omnino destitutus hæsit, saepius in variato vocis sono, ac corporis situ, semper tamen irrito conatu auxilium quæsivit, atque iterum ac tertio, ex longis semper intervallis idem orationis initium resumens, progredi ultra non potuit, semperque coactus est obmutescere, totius confessus ludibrio expositus.

### §. CLXXX.

*Legatus dicentem excipit, ac sermonem prosequitur.*

*Papiensis  
Comment.  
in fine.*

Legatus, Rechisanæ rubori, ac meritæ confusioni aliquatenus consulturus, cum linguæ latinæ peritissimus, ac aliunde doctrinæ fama longe celeberrimus esset, mira facilitate Rochisanæ silentium correxit, idemque sermonis initium repetens, non minus invicto animi robore, quam verborum pondere, atque efficacia differuit, strenue Bohemos adhortatus, ut abjurato errore ad Ecclesiæ Romanæ unitatem redirent. Singulare prorsus modestiæ suæ specimen præbuit Legatus, dum amplissima hac, & satis opportuna, qua Rochisanam coram celebri hoc

con.

consensu redarguere, ac perversam illius secul. XV.  
indolem manifestam reddere potuisset, oc-  
casione neglecta, nequidem ullum pro-  
tulit verbum, quod Rochisanam offendere,  
aut in se Fautorum ejus invidiam con-  
citare potuisset. Nihilominus tantum  
absuit, ut Viri moderationem deprædi-  
carent Bohemi, ut etiam eundem aper-  
te accusarent, illum eo duntaxat consi-  
lio hærentis orationem excepisse, ut Ro-  
chisanæ confusionem, quam quidem te-  
gere simulasset, omnium tamen oculis  
manifestius exponeret. Denique tam va-  
riis, indignisque modis Legatum habe-  
bant, ut ei absque summi Pontificis, cu-  
jus vices gerebat, injuria, necnon Apo-  
stolicæ auctoritatis dispendio in tali re-  
gno, ubi Ecclesiæ hostibus plena insul-  
tandi libertas patebat, diutius morari  
haud licuerit, quo circa ad sua reverti se-  
rio meditabatur.

### §. CLXXXI.

#### *Legatus relicta Bohemia Romanam reversus.*

Ceterum clam abire minus consultum,  
suoque honori haud congruum fore  
arbitrabatur. Verum nil proprius esse vi-  
debatur, quam ut ob hanc ipsam decen-  
tiæ sollicitudinem vitæ suæ jacturam fa-  
ceret; Hussitæ enim non modo in Bohe-

O 2

mia